





X.  
xx



3

DISSERTATIO IN AVGURALIS MEDICA  
DE  
**ARTHRITIDE,**  
TAM QVAM INFLAMMATIONIS  
SPECIE, AGENS,

QVAM  
SVB AVSPICIIIS DEI O. M.  
ET CONSENSV  
GRATIOSAE FACVLATATIS MEDICAE  
IN ALMA ET PERANTIQA HIERANA,  
PRAESIDE

**DN. D. HIERONYMO LVDOLFE,**  
CHTMIAE ET MATHES. PROF. PVBL. FACVLT. MED. ET PHIL. ASSESS. ORD.  
CIVITAT. ERFORD. PHTS. ET FACVLT. MED. H. T. DECANO,

PRO LICENTIA  
SVMMOS IN ARTE MEDICA HONORES ET PRI.  
VILEGIA DOCTORALIA  
LEGITIME CONSEQUENDI,  
PVBLICE ERVDITORVM DISQVISITIONI SVEMITTIT  
AVCTOR

**JOANNES FRIDER. ZIMMERMANN,**  
HETTSTADIO MANNSFELDENSI.

IN AVDITORIO MAJORI COLLEGII MAJORIS  
HOR. CONSVENT.  
DIE XXVIII. AVGUSTI, MDCCLII.

ERFORDIAE,  
Typis JOH. CHRISTOPH. HERINGII, Acad. Typogr.

DISSERTATIO IN AGARIS MEDICIS  
DE  
ARTHRIDI  
MATRONALI MIMONIS  
SPECIE AGARIS  
SABAZIUS DEI O. M.  
ET GONIKA  
IN ALIA ET TERRA HIBERNIA  
PRO LICENIA  
CUM PROGENITORI  
CULTUS TRICORDIUS ET EQUUS H. T. DROMUS  
DN. D. HERODIUS MONACHUS  
CHYTRIDIUS MATERIÆ PATER HIBERNIA MEDICUS ET HIBERNUS  
GRATIOSE LACERATATIS MEDICINA  
IN ALIA ET TERRA HIBERNIA  
PRO LICENIA  
SUMMONSI ALIA MEDICINA HONORIS ET LITERARUM  
AVGUSTA DECORATA  
FESTIVITATE CONFIDE SUND  
LITERARUM DECORATORUM DECORATISSIMA SUMMUM  
AVGUSTOR  
TOMINE FREDERICI HIBERNIANI  
IN AVANTARIO MAJORI COLLEGII MAJORIS  
HIC CONSALVI  
DUO TERRA AVGUSTA MEDICINA  
E ORDAE  
TELLE LORE CHRISTOPHE HIBERNIA ACCE THICE



## PROOEMIUM.

L. B. S.

 nihil ex omni parte beatum esse, veteres recte iudicarunt. Medicorum conditionem consideranti hoc venit in mentem; quotus enim quisque est, quem fugiat, multum rei medicae inesse perfectionis, multumque voluptatis? Hoc affirmandi rationes in promptu sunt: quantus enim deliciarum campus in tribus naturae regnis philiatio aperitur, quantusque cognobilium numerus eius curiositati pabulum praebet. Nonne, ut ex multis pauca in medium proferam, in Anatomia et Physiologia Medicus aureum illud, noscete ipsum,

A 2

exer-

exercet? Arte chemica ad ea, quae interiori angulo condidit natura, penetrat: Pathologiae ac Therapiae regulis instructus, sibi ipsi aliisque, cum variis morbis conflicitantibus, auxiliatrices manus adferre, et pretiosissimum illum sanitatis thesaurum recludere potest. His tamen non obstantibus, multa sunt, quae medicorum conditionem iusto deteriorem redundunt, quorum nonnulla enumerare decreui. Quid dicam de difficili cuiuslibet morbi individualis diiudicatione, sine qua Medicus curationis problema, nodum illum Gordium, numquam recte soluet, adeoque nec officio satis faciet nec conscientiae, nec expectationi. Huc accedit, morbi caussas saepe numero artis salutaris vires superare, et per se irremediabiles esse, ita ut Medicus non posset non morti vietas praebere manus. Verum quid facias? quae vires humanas superant, non sunt nostrae obligationis, nec aegre ferendum, si quis imprudentia vel malitia ad ductus, atro dente nos petit, et famae nostrae labeculam aspergere conatur. Utinam homines naturae regulis, mutari nesciis, actiones suas

suas religiose attemperarent, et quod natura dedit vellent pati! sed mortalium complures, non tamen omnes, quasi legibus soluti, officia sua naturalia negligere, nulli religioni sibi dicunt; cum tamen ne latum vnguem quidem impune ab iis recedere possunt, et actutum poenas dare stultiaeque praetrium ferre co-guntur. Corporis exercitia adeo salutaria ac necessaria negligentes, otio se dant, temperaniam rerumque modum nescientes aut negligentes, in luxu viuunt, fruges scilicet consu-mere nati. Sub hac vitae ratione, Medicum, quasi stultiae sit praesidium, multis modis turbant. Grauissimos morbos cito et iucunde profligare, a Medico exquirunt, illum vltro accusant, inscitiae aut malitiae intimidant, si cura non actutum votis respondet, licet graues animi pathematum, diaetae, regiminis, et medicationis errores, Medico inscio vel reclamante, ad-mittant. In fine laboris impensorumque, ve-ritatem effatorum Phaedrianorum experiuntur, quod qui malis auxilium fert, post tem-pus doleat, ut ille, qui gelu rigenter colubrum fustulit, sinuque souit, contra se ipsum miseri-

cors: et quod is, qui pretium meriti ab improbis desiderat, bis peccet, primum quod indignos adiuuat, deinde quia iam impune abi-  
re non potest; quod gruis exemplum nos mo-  
net, quae pretio et iure iurando allecta, pericu-  
losam lupo medicinam fecerat, pro quo facto  
cum flagitaret praemium: ingrata es, inquit  
lupus, quae ore nostro caput incolume abstu-  
leris, et mercedem postulas. Sed medicus chri-  
stiani amoris regulis imbutus, se non homini-  
bus, sed Deo, Domino iustissimo aequa ac cle-  
mentissimo, seruire credens, nihilominus qui-  
buscunque miseris, auxilium expetentibus, ma-  
nus offert auxiliatrices, nobiliores causas im-  
pellentes alta mente respositas habens, quam  
quae ex pretio desumi possunt. Ut vero, quae  
supra diximus, exemplo corroboreremus, poda-  
gricorum aliquique affectibus arthriticis labo-  
rantium multi sunt, qui medicis erucem fi-  
gunt, nonnulli enim libidine perditi et in dies  
dapibus graues, importune satis doloris reme-  
diū a Medicis exposcunt; quasi vero expedi-  
tum sit, malum idque saepius inueteratum,  
tollerē, perseverante, quae id foueat, causa.

Hos

Hos si iuuare Medicus conetur, nihilo plus proficerit, quam si det operam, ut non obstructis fontibus exhauiat flumen; ipsis scil. epulonibus antiquum obtinentibus, nec solitae veneris amplexus, nec Bacchi patris calices postergare valentibus. Non tamen etiam desunt, qui ex innocentioribus caussis hoc morbo eiusque immanissimis cruciatibus mactantur atque diuexantur, et quibus utique curae cordique est, sana consilia sequi, his subuenire et opitulari, Medicum, qui nihil humani a se alienum putet, quam maxime decet. Hoc animo hocque proposito, dissertationis inauguralis thema eligens, de morbis arthriticis, tamquam de affectionibus inflammatoriis, agere, facilemque eos superandi methodum, ratione et experientia confirmatam, exponere, mecum constitui. Fauxit Deus, fons omnis salutis, et cui omne auxilium acceptum debetur, ut qualiacunque connamia mea in maximi sui nominis gloriam et proximi veram utilitatem cedat! sic enim maximum votorum meorum fructum me cepisse arbitrabor.

§ I.

## TRACTATIONIS SYNOPSIS.

§. I. Morbi definitionem tradit. §. II. Arthritidem in fixam et vagam diuidit. §. III. Locum affectum demonstrat. §. IIII. Historiam morbi ingruentis, §. V. Praesentis, §. VI. Decrescentis enarrant. §. VII. Symptomata arthritidis vagae et mali ischiatrici tradit. §. VIII. Causas occasionales. §. IX. Materialem, §. X. Formalem detegunt. §. XI. Subiecta indicat. §. XII. Prognosia carentium sinistrorum, §. XIII. exoptatorum, §. XIV. specialissimam sifit. §. XV. De therapia huius morbi in genere agit. §. XVI. XVIII. Regulas dieteticas ac regiminis extra paroxysmorum tempus praescribunt. §. XVII. Curam breui ante paroxysmum tradit. §. XX. Remedia interne in paroxysmo propria nanda enumerat. §. XXI. Materialia peccantem e corpore proscribendam esse, monet. §. XXII. Quomodo inflammatio tractanda sit, ostendit. §. XXIII. Ventriculi ardori, §. XXIV. spasmis occurvere, ostendunt. §. XXV. Materialia re erocedentem reuocandam esse, statuit. §. XXVI. De catairbo suffocatiuo, §. XXVII. De tumore oedematoso, §. XXVIII. de topbis agunt. §. XXIX. Remedia externa enumerat. §. XXX. Mali ischiatrici therapiam tradit. §. XXXI. Cautelas practicas subiungit, et toti tractationi colophonem imponit.

### §. I.

*Definitio  
arthritidis  
et specie-  
rum.*

**A**rthritis est afflictio spastico-dolorifica artuum cum tumore inflammatory et impotentia fletendi coniuncta. Eius species sunt chiragra, podagra, gonagra, ischias, quas arthritidem manuum, pedum, genuum, coxarum esse sequitur ex conceptu generali. Nomina a vocabulis graecis αρθρος articulus, αγχεια capio, την manus πη pes, τον genu, τον lumbus, derivantur. Alii arthritidem morbum spastico-dolorificum ab inflammatione partium tendinoso-membrano-

branosarum esse dicunt, quae definitio ad huc plures  
species sub se comprehendit, e. g. hemicraniam, pleu-  
ritidem spuriam etc.

## §. II.

Arthritis in fixam diuiditur et vagam, prout sci- Divisio in  
et vagam.  
licet per totum morbi decursum vni membro inhae-  
ret, vel de loco in locum suscipit transmigrationes,  
vnumque membrum post aliud exerceat. Vaga etiam  
scorbutica audit, meritoque pro morbo composito  
habetur, et praeter lentam humorum qualitatem, spe-  
cificam quoque acredinem supponit.

## §. III.

In genere partes tendinoso, membranosa et ma- Locus affec-  
xime articuli diro huic morbo exponuntur. In specie  
monemus, chiragram carpum affigere vel articulos et  
vincula digitorum, tumore, rubore, calore, dolore ma-  
num occupantibus. Coxae dolor non in magno eius  
articulo desfigitur, sed inde in femur, suram et extremum  
pedem se se extendit, quid quod circa inguina inter-  
dum inhaerescens et vesicam afficiens, urinae difficult-  
tatem parit. Podagra pedis pollicem maxime infec-  
stat, reliquo pede in consensum tracto, ita quidem, ut  
in nonnullis dolor à superioribus ad pollicem pedis de-  
scendat, ibique sedem fixam capiat, in aliis à pollice in-  
cipiat et ad superiora progrediatur. Gonagra genu  
torquet, et saepe in podagram transit. Quin etiam si  
malum arthriticum inuoluit, vertebrae spinales affi-  
ciuntur, genaeque dolent, atque ipsum interdum gut-  
tur, nec ulla fere ossium connexio expers est huius  
cruciatus conf. LOMMIVS in obseru. med. l. 2. p. 253.

B

§. III.

## S. III.

*Historia  
morbis in  
grauentia.*

Affectus arthritici singulis annis et frequentissime post solstitium hibernum recurrunt. Eorum quasi praenuntius est crebrior ardor dolorque in ventriculo. Instante paroxysmo, inflatio partis passurae manifesta observatur, cum corporis grauatiua lassitudine, ac tensione, et sequuntur mox horripilations.

## S. V.

*Morbi praef-  
sentis.*

Ipse morbus cum tumore, mouendi impotentiā, inflammatione, rubore scenam aperit, tuncque dolores tensui, grauatiui, ardentes atque pulsantes enascuntur, quin saepe vellicantes atque lancinantes, ad elevatum usque aegrotantem torquentes. Paroxysmus doloris quasi detonatione post medium noctis omnibus fere accidit, ubi ex somno aegroti ab illius vehementia excitantur; nam adeo urget, ut nec lintetum parti incumbens tolerare possint. Vehementissimus dolor in quibusdam post paucos dies remittit, manente tamen partis rigore; ad minimum vero motum, vel leuissimo regiminis aut diaetae admisso vitio, omnis malorum scena de integro adornatur. In plurimis appetitus est prostratus, in nonnullis vero manet. Somni beneficium cessat, & sub remissione frequentioribus pavoribus interrupitur. Urina est rubicunda, matulis adhaerens, cum arenulis, furfuriis et sedimento rubro; peripheria enim corporis constricta; particulae orgasticæ cum lotio excernuntur. Sanguis ex vena missus pleuriticorum sanguinem imitatur, et satis de inflammationis praefentia restatur.

statut. Insignis animi impatientia concurrit. Pulsus est febrilis, aliaque febrilia symptomata, e. g. horripilatio, calor, sitis, sudor concurrunt, quos horrores febribiles Cel. IVNCKERVS in *consp. therap.* tab. 50. p. 426, recte vocat. Et Cel. HOFFMANNVS in *Therap. spec. c. XI. s. 1.* febrem hanc rheumatico-podagricam appellat. Cardo rei in hac consideratione versari videtur; nam nulli medendi methodo experientia adeo respondeat et exoptatus eventus, quam si febrium inflammatorum instar affectus arthritici tractantur. Sudores in hoc morbo sunt critici, et ut plurimum non nisi declinatione morbi apparent; nisi temperantibus tractetur, quibus quasi per anticipationem, maximo aegrotantis leuamine, iutantur.

## S. VI.

Plerumque post unum duosue menses, saepe tamen, sub recta tractatione, multo citius dolores decrescunt, sub sequente membrorum rigore et immobilitate, quae tandem sub debilitatis specie aliquamdiu molestia est; donec omnia redeant ad pristinum statum. Nonnullis oedemata superaccidunt, quae prouidam exposcent tractationem. Conf. SYDENHAMVS de *podagra*.

Obs. Podagra raro castratos et pueros ante veneris usum, vel mulieres adoritur menstruis carentes. Conf. LOMMIUS obs. med. l. 2. p. 255.

## S. VII.

In arthritide vaga dolor est vellicatorius, subtiliter repens, quasi formicæ interiorem partem occupant.

rent. Scorbutica instabilis et crudelior est fixa, et facile haemorrhagias enormes per narres, pulmones, ventriculi et ani venas concitat; attamen sine leuamine aegrotantis, fructuque inde sperato. In ischiatrico malo crus modo calidum deprehenditur, modo est frigidum, sed raro euidens emergit tumor, calor, rubor. Magnum hoc prae caeteris mouet dolorem, et inclinata, post morbum chronicum, in coxam materia eam producere potest.

## §. VIII.

*Causae occasio-* A symptomatum enumeratione ad causarum *nati-*  
*nationales.* dagationem, ipso rerum ordine viam commonstrante, pergitus, ex illis enim, tanquam effectibus morborum naturalibus, ad causas conjecturam facere licet: nec morborum prognosin rite formare, in vilius potestate situm est, nisi praemissa accurata causaarum cognitione; quantitatem enim ac qualitatem effectuum ex quantitate causaarum metimur atque cognoscimus. Primo autem causas occasioales enumerare liber, in quibus actionum naturalium nonnulla vitia occurunt: diaeta lauta, crassa, acida, vina tartarea et acida, potulenta spirituosa, humores quantitate et qualitate peccantes producentia, vim ad hunc morbum sternunt. Dein humorum expansio tempore vernali, motusque sanguinis irregularis, teste illustr. HOFFMANNO in *Iher. spec. c. XI. §. 2.* calculum suum adjiciunt huic morbo excludendo. Tertio nec haemorrhagiae naturales suppressae atque turbatae, nec artificiales neglegentiae ex causarum numero eximi possunt, et de transpirationis suppressione, qua serum impurum intus retin-

retinetur, quod febribus producendis aptissimum est, tamquam causa antecedente, nemo Medicorum rationarium dubitabit. Nec actiones animales omni culpa vacant, ira enim frequens humores mouet, sed non promouet, impellit, non autem propellit: sic nimia venus huic morbo pariendo velificatur; nam optimas sanguinis particulas detrahit, et corpus inducta frigiditate, longe imbecillimum facit; hinc Pythagoras ἀρρενίτης οὐανδος vocabat. Ad haec membra imbecillitas naturalis vel adscititia à nonnullis accusatur, quae tamen sola, teste Galeno, hunc morbum excludere nequit, nisi inutilis materia corpori superstet. Quod vero eiusmodi imbecillitas naturalis, seu iure hereditario accepta esse possit, experientia satis evincent, nec ullus fere est morbus, qui magis a parentibus trahatur. Conf. LOMMIVS in ob. med. l. 2. p. 253. Non nunquam etiam laesio interna adest e. g. infractus, scirrus, ylcus. Denique contagium in causarum censem venire potest, cuius rei exemplum illustr. STAHLIVS enarrat, nimirum in seruo ocreis domini podagrari donato.

Schol. Tempore vernali, ob sanguinis et seri singulare quadam ebullitione, non arthritici solum, verum etiam haemorrhagici habent, ut sibi carent; nam si umquam, certe ito tempore, hostis est ante portas.

do odior am oly in §. VIII.

Causa materialis in humorum quantitate et qualitate est quaerenda, sola enim plethora non sufficere

*Causa Materialis.*

B 3

vide-

videtur; multi enim plethorici, ideo autem non arthritici sunt. Hoc tamen non obstante utique concedimus plethoram eamque cacochymicam secundam huius morbi matrem dici posse. Postliminio quasi etiam hoc reddit serum excrementium, stagnatione visciditatem acrimoniae iungens. Cel. de GORDER acidum succum nerueum accusat. conf. eius comp. med. trac. 38. §. 64.

## §. X.

De caussa  
formali.

In organicorum schola erroneous effectuque carentes motus principii vitalis ad sanguinis abundantis euacuationem caussam formalem esse, affirmant. Alii ab ente intelligenti animum abducentes, caussam in humoribus ipsis partibusque solidis quaerunt, et dolores hos atroces fieri ab humorum decubitu ad partes exsangues membranosas, ligamenta maxime constituentes, contendunt. Ex causa formalis morbi symptomata colligi debent.

## §. XI.

## Subiecta.

Subiecta, in quaе caussae hæc cadere possunt, sunt homines in quibus dispositio naturalis vel acquisita deprehenditur. Iure primitivo huc pertinent, quicunque tam malam hereditatem, a parentibus relictam, adierunt; multum enim parentum natura in liberos potest, arthritici creantur arthriticis, et est in pueris vitium patrum, nec imbellis columbae fortes progenerant aquilas. Temperamenti vitio huic morbo obnoxii redduntur cholericæ et sanguinei, nec non qui sunt habitu corporis spongiosiori. Iure secundario hic

hic morbus occupat homines consistenti aetate iam  
florentes, viros p[re] feminis, lautas diaetae vitaeque  
otiose deditos, humorum abundantia praeditos, ha-  
bitiores, Veneri Bacchoque multum litantes, maxime-  
que iracundos, haemorrhoidum turbas patientes, nec  
non eos, qui vitam semi mobilem agunt, variaque re-  
giminis vitia admittunt.

Obs. Feminae ad malum ischiaticum frequentius et  
ad hemicraniam, quam ad alios affectus arthriti-  
cos deueniunt.

§. XII. paroxysmo, caines  
Praemissis caussis, ad prognosin capiendam iam *Pronosis*  
accingimur, et quidem primo quae peioris indicatio-*eventuum*  
nis sunt proferemus: Affectus arthritici omnes in se *sinsistrorum*,  
satis sunt pertinaces; quod ex materiae peccantibus in-  
dole et partium affectarum naturali constitutione flu-  
it; articuli enim materiam prompte quidem admit-  
tunt, tardissime vero maximoque negotio excludunt: Quid quod morbus iam inueteratus nunquam ex to-  
to sanatur, spongiam scil. partium solidarum atque  
fluidarum laesionem supponens; quid quid enim  
multi garriant de antipodagricis medicamentis; atta-  
men verum est vetus illud verbum: tollere nodosam  
nescit medicina podagram. Haec semel inuete-  
rata certe malorum cateruam trahit. Iam non di-  
cam, ipsius morbi paroxysmos semper existere per-  
tinacioes diuturnioresque, parte affecta magis magis-  
que debilitata, in primis si eius caussae incongrua di-  
eta souentur: sed id maxime monemus tandem  
circa articulationes tophaceas tartareasque enasci col-  
lectio-

lectiones, quae cum tempore suppurratae, materiam  
albam, consistentem, quasi gypseam fundunt, et pei-  
oris indolis efformant exulcerationes. Eadem materia  
tophacea ad renes decumbens, calculorum prouen-  
tum adfert, vt podagra diu affecti tandem nephritici  
fiant, cui eventui diaeta probe velificatur: quibus ma-  
lis corollarii instar tendinum exsiccatio et contraetatura,  
vel oedemata pedum cum hydrope non raro superac-  
cedunt. Conf. Cel. de GORDER. in Comp. med. tract.  
35. §. 10. Pessimi hi eventus etiam non vocati acce-  
dentes, eo celeriores fortioresque apparent, si vel a  
tempestatis ratione, vel diaetae ac regiminis vitio ul-  
tro inuitantur, ac fouentur. Hinc auetumo et hyeme  
parum sperare licet. Etiam minimi diaetae errores,  
e. g. potus spirituosi viscidique haustus paroxysmum  
intendit vel reuocat. Transpirationis, etiam post mor-  
bum aliquamdiu duraturas, suppressio valde omni-  
nosa est, et praeter paroxysmi exacerbationem, motus  
materiae peccantis versus superiora, periculosa meta-  
stases, tumores, anginam, catarrhum suffocatiuum,  
febris intensionem, aliaque grauissima mala in scenam  
producere potest. Nec animi pathematibus, e. g. irae  
impune indulgere licet; motus enim pervertuntur,  
materia peccans augetur, et symptomata quaevis in  
peius ruunt, cuius rei multa exempla afferre possem,  
nisi ipsa res loqueretur. Nulli etiam curationis sive  
internas sive externae errores sine magno detimento  
admittuntur, de quibus in therapeutica tractatione  
mentionem faciemus. His denique subiungimus,  
quod morbo etiam superato, in multis appetitus pro-  
stratio

stratio satis diu perduret, cui quae nam remedia oppo-  
nuntur, infra docebo.

Obs. I. Si affectus arthritici laesionem visceris vita-  
lis cuiusdam vel etiam plurium, et non solam  
humorum depravationem supponunt, et cum aliis  
morbis chronicis coniunguntur; tunc refractarie  
se gerunt et mali moris deprehenduntur.

Obs. II. Quantum periculi animi exandescētia  
cum transpirationis sufflaminatione etiam post  
morbū, nēdum sub ipsis paroxysmis, afferat,  
exemplō quodam illustrare liber. Vir quidam se-  
xaginta annorum, temperamenti sanguineo-chol-  
ericī iam aliquoties podagrae torturam perpe-  
sus, proxime, post duos menses ab eodem mor-  
bo liberatus fuit, transpiratione tamen ingiter et  
cum euphoria continuante, ita ut iam quintam  
septimanam in publicum prodiret, hic, ut mos  
erat, data quadam occasione, Herculea ira exan-  
descēbat, et simul sub ioue pluvio suppressibat  
transpirationem: quo factō, leuiorem congeſti-  
onem in mala sinistra experiebatur, et, ut fieri so-  
let, propriam sibi formans pathologiam, dentem  
culpae proximum esse, credidit, eundemque, in-  
scio medico, euelli iussit: tumor et inflamma-  
tio vero augentur, accedit febris. Damno non  
dum satis deterritus, emulsionem proximii den-  
tis molaris integri, reclamante medico, sed com-  
probante chirurgo, priori subiunxit. Motus au-  
gentur

gentur, oedemata pedum recedunt, tumor ingens ac durissimus glandularum colli, respiratio-  
nis angustia, catarrhus subsequuntur, et medica-  
mentis internis febrilibus, et catarrhalibus non  
calidis irritis, et externe chirурgo in cassum pu-  
gnante, aeger die quarto sub catarrho suffocatio-  
moris.

## §. XIII.

*Prognos.  
bona.*

Longe vero aliter res se habet, et meliora spha-  
re licet, si malum nondum est inueteratum, aegroti  
dicto sunt audientes, bonam diaetam ac regimen con-  
ueniens obseruant, et medicus naturae minister, non  
dominus, officio sub recte fungitur. Rebus enim sic  
se habentibus, paroxysmi sunt mitiores breuioresque,  
nec desunt exempla mali huius funditus eradicati. Mo-  
tus moderati et versus inferiora tendentes fausta pro-  
mittunt. Dolor ad pulsationem et palpitationem ascen-  
dens instantem paroxysmi sinem annunciat, conf. Cel.  
de GORDER. l. c. tract. 17. s. 14. Excretiones iugiter  
succedentes bona quaevis sperare iubent. Earum prin-  
ceps, transpiratio mirum in modum aegrotantes iuuat,  
et malum compescit. Alius fluens bona est indica-  
tionis, et urina alba crassa sanitatem affert, vid. LOM-  
MIVS l. c. Harum assertorum veritas sua radiat luce,  
hac enim ratione materia peccans iudicis minuta, de-  
nique prorsus e corpore proscribitur, et orthostadia  
redit. His vero turbatis, omnia contrario modo fe-  
habent.

## §. XIV.

*Prognos.  
spec. de mala.  
Rerum*

Inter affectus arthriticos malum ischiaticum lon-  
gissi-

gissimum est, nequaquam simul ac semel finiendum. *lo ischiatico et gonagra.*  
 Si ingens torpor subest, et crus, cora lumbique fri-  
 gent, parum sperari potest. Ex malo hoc inueterato  
 vel male tractato claudicatio vel hydrops etc. venit,  
 ex gonagra sinistre tractata ulcera in genu cacoëthea  
 chronica facta fuisse, experientia me docuit, quae ad  
 quamvis tempestatis vicissitudinem acutissimis dolori-  
 bus aegrotum excrucierunt, omnemque vim medici-  
 nae eluserunt.

## §. XV.

Cognitis morbi caussis eiusque forma, cum con-  
 nexit, nunc ad methodum medendi progredimur,  
 quam ita trademus, ut primo, quid extra paroxysmi  
 tempus obseruandum sit, dein, quomodo in ipso mor-  
 bo medicamentis pugnandum, et denique quid supe-  
 rato morbo agendum, obstendamus.

## §. XVI.

Multum sane refert ad morbos auertendos, qua Extra pa-  
 ratione homo vitam agat, morbi enim non sine posi-  
 tis ante fundamentis oeconomiam animalem turbant,  
 non ex fabulosa Pandorae pyxide, non ex lerna proue-  
 niunt, sed modo non semper actionum a recto trami-  
 te deflecentium naturalia sunt connexa, mali fructus  
 ex stultitiae ac malitia agro cultoribus suis redeuntes:  
 Ergo etiam respectu morbi arthritici facienda dantur  
 ac fugienda, quorum mentionem facere, partes suscep-  
 ptae iam requirunt. Ab animi pathematibus initium  
 capiamus, haec mentem obnubilantia eam non a veri-  
 tatis cognitione solum praeccludunt, sed et quasuis cor-

C 2

poris

poris actiones adeo turbant, vt hominem dignitatem  
 pristinam amississe, prorsus dicas: exemplo inter alia sic  
 ira, sub qua sanguinis versus exteriora propellitur, va-  
 sa tument, facies rubet, oculi fulgent, dentibus frende-  
 mus, trucem induimus vultum, frons capratur, lin-  
 gua balbutit atque haesitat, manibus pedibus obnoxie  
 agitur, primarum viarum actiones turbantur, intendi-  
 tur fibrarum tonus, humores anomalo impetu ferun-  
 tur, vt impetuosus voluitur fluuius, cum saeuit, horren-  
 damque cultis diluuiem meditatur agris, ceu flamma  
 per taedas, vel Eurus per marinas equitat vndas. Numa  
 ergo mirum videtur, si ab eiusmodi animi atque cor-  
 poris excandescientia inter alia mala arthritici quoque  
 affectus compareant? qui igitur ab horum saeuitia  
 exemptus esse desiderat, ille reprimat iracundiam, et a  
 se rediens, cui rei est, vitam hanc sumat.

## §. XVII.

*Ratione di-*  
*aetate ac mo-*  
*tus.* Si umquam alia re, temperantia certe et laborioso  
 vitae genere omnes arthritici affectus optime doman-  
 tur, ex ingluvio vero, vt quiuis morbi, ita quoque hi-  
 laete progerminant. Arthritici igitur sibi caueant a po-  
 lyphagia, a potuum spirituorum ingurgitatione, a  
 cibis dyspeptis, acidis, viscidis, lacticiiniis aliisque valde  
 nutrientibus. *conf. Illustr. HOFFMANNV in therap.*  
*Spec. 5. 4. c. 11. §. 15.* Hydropotae in hunc morbum  
 non facile prolabuntur, nec ii, quibus res angusta domi  
 est, qui parce ac sobrie viuunt, cum hoc morbo  
 confliuantur, sed illi boni viri, qui moliter viuunt, ge-  
 nio indulgent, pelliculam curant, riuuntque per veti-  
 tum

tum nefas. Non desunt exempla podagricorum, qui  
in vincula publica coniecti, et non nisi frigida et pane  
alti, podagrae compedes amiserunt. Recte igitur Sy-  
denhamius Cyprios monet, vt sibi a multo cibo, pae-  
sertim coena, temperent; lectus enim digerendis solum  
humoribus est dicatus. Quid porro continuatus cor-  
poris motus valeat ad iuuandas secretiones et excre-  
tiones, quantum robur corpori addat, quantumque sa-  
nitatis contra omnes morbos praesidium sit, ipsa expe-  
rientia loquitur. Rustica gens, quae rura bobus exer-  
cit suis, pensis fessa quotidianis, et vacuum tempus la-  
boris sibi non dans, affectus nescit podagricos, nobis  
multo habitior est, et natura praestat, nos vero curatu-  
ra ac desidia iuncei reddimur et mulieres. Verum,  
quid facias? quotus enim quisque hominum est, qui  
hanc veritatem aequa mente ferre possit? si Medicus,  
veri testis, abstinentiam inculcat atque motus, stulto-  
rum derisi se praebet ac cauillationi: Qui vero ha-  
bent salem, alta mente sibi habeant repositum pater-  
num monitum hoc: quod alterno caret motu, durabi-  
le non est!

Schol. Quoniam maxima pars hominum exemplis  
magis stimulatur, quam praceptis; ex magni no-  
minis practici Cel. IVNCKERI *conspicu therapeu-*  
*tico tab. L. p. 433.* sequentem casum in medium  
proferre, non alienum esse duxi: vir quidam lite-  
ratus, quinquaginta et quatuor annorum, tempe-  
ramenti sanguineo-melancholici, habitus corpo-  
ris spongiosi et crassi, vita sedentaria malum hy-  
pochondriacum motusque haemorrhagicos non

C 3

tan-

tantum sibi comparauerat, verum etiam insultus  
podagricos iam quatuor lustra et quod excurrit,  
iam pertulerat, ut prostratis demum viribus, le-  
sto modo non semper esset affixus. Nec amicos  
ferre, nec rei familiaris consuetam curam habere  
poterat: Nec medicamenta nec iuscula confor-  
tantia voto respondebant, donec habitudo cor-  
poris, post aliquot mensium paroxysmum poda-  
gricum et febrem lentam, remota cessit. Post  
haec dicto Medico, sanitatis viam commonstra-  
turo, se omnem lapidem moturum, sancte promi-  
sit, qui praeter corporis motum venaelectiones  
aequinoctiales, a nemine ante cordi habitas, ei-  
dem imperauit. Pededentim aeger in excursio-  
nibus et reliquis corporis motibus mirificum  
acquisiuerat habitum; quibus omni assiduitate  
et constantia factis, omnia per triennium sanitatis  
aderant signa, et podagra tribus hisce laboriosis  
annis nunquam redibat. Nihil restare videbatur,  
quam hoc unicum matronarum domesticarum  
votum, ut pristinus corporis habitus, a labore  
communitus, rediret. Redibat vero quarto anno,  
quo sensim a labore remittebat, et diaeta nihilo-  
minus plena ac lauta vtebatur, venaelectione et-  
iam omissa. Hac ratione ampla illa vestimenta,  
quaes, spe obtainendae pristinae obesitatis, angusta  
fieri, matronae recusauerant, ad vota erant exple-  
ta. Quinto anno, praedicente Medico, morbus  
nitionibus quidem, sexto autem acerbioribus pa-  
roxysmis recurrebat, totum pinguedinis penum  
con-

consumens. Noua hac calamitate deteritus, non  
viam obedientiam aegrotus pollicebatur.

*imp. adsd. si alibi oportet. tot. tam obitum.*

### §. XVIII.

Quantum ad hunc morbum praeoccupandum *Respectu*  
valcent secretiones atque excretiones iugiter succeden-*secretionum*  
tes, vix dici potest. Quaecunque ergo humores at-*aigue ex-*  
tenuant, vasa secretoria aperiunt, fibrarum tonum  
conseruant, chylificationem ac sanguificationem adiu-  
vant, ac laudabiles praeflant, humorum circulum  
aequabilem reddunt, ea sunt sectanda. Laudantur in  
hunc finem digestiva, abstergentia, aperientia, acidulae,  
principium alcalinum in sinu fountia, serum lactis,  
infusa ex Veron. Chamaedr. Chaeref. Hyssop. Rad. Pa-  
reir. brav. Chin. Saffap. Bard. conf. LOCHNERI *traſſ.*  
*de Pareira braua.* Praeter haec excretiones naturales  
conseruari ac restituiri debent, alius cessans eccoproti-  
cis admonienda, et viscidum subinde euacuandum,  
vriphae excretio et in primis transpiratio peripherica sit  
curiae cordique, ut corporis mundificatio quotidiana,  
fine cuius vigore sanitas conseruari non potest. Ha-  
emorrhoidum, mensum, lochiorum sollicita cura ha-  
beatur. Sanguinis ventilationes artificiales non negli-  
gantur; quarum omissionem ne homines plebeii qui-  
dem, satis ceteroquin robusti, ferre queunt: ergo ple-  
thoraici ante aequinoctia sanguinem mittant, et scari-  
ficationem in pedis tarso administrandam, current; quo  
magis enim plethora imminuit, et serum peccans  
euacuatur; eo breuiores erunt paroxysmi, vel prorsus  
fugam capessent.

Schol.

Schol. I. Aquarum mineralium usum iis tantum, qui non altius in hoc morbo profecti sunt, commendamus: longe aliter vero res iis se habet, qui iam diutius cum hoc morbo conflictarunt, vel in quibus iusta laeformum viscerum suspicio adest; tantum enim abest, ut aquarum mineralium usus his leuamen afferat, ut potius celeri pede mortem arcessat. Conf. HOFFMANNI *diss. de spacio lo a causa interna.*

Schol. II. Nec respectu venaectionis de verbis nostris quis erret, ut enim extra paroxysmorum tempus sine dubio iuuat, sic, experientia teste, nullum solamen sub ipso paroxysmo ab illa est expectandum; tum temporis enim vitium non sanguini ac venis, sed sero ac partibus exsanguibus altius impactum inhaeret, et motus, iam satis turbati ac vehementes, incenduntur, atque excretio, quam natura intendit, peripherica vniuersalis hac particulari turbatur.

### §. XVIII.

*Cura brevius  
ante paroxysmum.* Ipso iam imminente paroxysmo, congrua meditatione vires eius infringi ac labefactari possunt; ut hostis superioris impetus in bello retardari et conanimibus eius varia impedimenta prudenter opponi solent. Prosum autem contra dirum hunc hostem infusa ex Rhabarbaro ac Manna, cremore Tartari exaltata, vel potionis laxantes, quibus, sine motum exacerbationibus, primarum viarum impuritates removentur, et sic actionum naturalium, a quarum depravatione

tione morbus hic maxime pendet, correctioni prospicitur, et malo alimentum subducitur. Formula eiusmodi laxantis haec esse potest: Rec. Sal Angl. unc. j. Pulp. Tamarind. unciam sem. solye in aquae Flor. Acac. unc. iv. vel quaecunque alia formula, statui individuali conueniens, prudentem medicum arridet.

## S. XX.

In ipso paroxysmo resolutioni ac proscriptioni *in parox.* stagnantium humorum et inflammationis discussioni respectu *re-* prospiciendum, nec non urgentioribus symptomati-*med. in-* bus prudenter obuiam eundem est. Resoluunt vero *tern.* potulenta tenuia, salia media, alcalina, extracta amara, e. g. Aristologiae rotund. gummata, pilulae balsamicae ad mentem Becheri paratae, infusa mundificantia; essentiae vero spirituofae commouendo nocent. conf. illustr. de GORDER *in Comp. med. trad. 38.31.5.* Inter decocta antipodagrifica famam consecuta sunt Vienensis et Londonense cuius formulas statim subiiciamus: Rec. Polypod. Hermodactyl. Rad. Chin. Sassafrill. aa. unc. iv. Guaiac. unc. vij. in olla magna cum aquae M. vij. et vini albi. Miss. coquantur ad quartae partis consumptionem, postea fiat colatura. Speciebus residuis iterum affunde aquae M. vij. vini Miss. coque ad quartae consumptionem. De hoc quantum aegrotus potest, bibat, et quatriiduum uno hoc potu nutriatur, omnibusque aliis iusculis abstineat, edatque admodum modice carnes salubres assatas. Quosdam per vrinam, quosdam euacuat per aluum, tanta quidem efficacia, ut plures intra paucos dies restituti, in

D

publicum

publicum prodire possint. In subiectis calidioribus ab Hermodastylorum et Guaiaci vsu tutius abstinetur. Decoctum Londonense hoc modo patatur: Rec. Rad. Sassafr. vnc. vj. Ling. Sassafr. Rad. Chin. aa. vnc. ij. coque in aquae font. congiis. ij. per horas dimidium, deinde stent clausae super cineres calidos horas XII. Post ea ebulliant ad tertiae partis consuptionem. Cum ab igne amouetur, infunde Sem. Anisi vnc. sem. Post duas horas coletur, depuretur per residentiam, et liquor lagenis vitreis probe clausis, ad usum pro potu ordinario, reponatur.

## §. XXI.

*Materiae  
peccantis  
proscriptio.*

Quaevis excretiones naturales in hoc morbo quidem iuuant, ita ut consultum sit, diuresi atque excretioni aluinae crebrioribus laxationibus rhabararinis, pilulis balsamicis aliisque conuentientibus pharmacis prospicere; omnium tamen maxime excretio peripherica prodest, quae quidem non calidis diaphoretis, sed temperantibus, nitrosis, cinnabarinis, potiunculis, spiritibus acidis dulcificatis, atque infusis commodissime intuitatur. Regiam hanc excretionis viam ipsa natura intenso quasi digito commonstrat; arthritici enim declinante quoquis paroxysmo, sponte natura auctiori transpiratione gaudent, cuius beneficio vitiola atque hostilis materia euacuatur. Conf. Cel. HOFFMANVS in therap. spec. sec. 4. cap. XI. §. VIII. VIII.

## §. XXII.

*Inflammatio  
nis ex-  
similio.*

Inflammatio non dolores solum fouet, verum etiam nimia multifariam vitia dare potest: hinc prudenter

denti consilio extinguendum est hoc incendium, quod optime sit aquae simplicis frigidae potu, cui quanta vis temperans, diluens, resoluens atque aperiens insit, incredibile est dictu. Cui si temperantia supra descripta Medicus coniungit, nihil praeter officium fecisse videtur. Quoniam vero resta morbi tractatio, ut etiam urgentiorum symptomatum ratio habeatur, requirit; iam quoque de illis dispiciamus.

## §. XXIII.

Ad ventriculi ardorem digestiva valent atque laxantia e. g. Rec. Sal. Absynth. Tart. Vitriol. aa. drach. culi ardore. j. Lap. Cancr. Rad. Ari aa. scrup. iiiij. M. cuius drach. ma sem. ante cibum captiatur. Quo magis autem primis viis prospicitur; eo breviores mitioresque erunt paroxysmi. Nec usum contemnendum ad digesti- nem iuuandam extraeta amara praestant.

## §. XXIII.

Nimil spasmi non modo dolorifici sunt, sed etiam sanguinis circulum atque excretiones multis modis laedunt: ergo iis prudenter sopiendis utique opera danda, et quidem primo pulueribus antispasticis perculum faciendum est, his si minus obtemperant, moderantia atque anodyna correcta, parca manu, in auxiliu adhiberi possunt, vel Elixirium acidum Dippelii et decoctum C. C. citr. et quae in hunc censum ventunt alia plura. His si recte obuiam itur, etiam febris inflammatoria atque alia symptomata mitescunt.

## §. XXV.

Non satis cauti medici vel aegrotantis vel adstantium culpa facile contingere potest, ut nocua arthriti- In retrocessione mat. dispecent.

dis materia versus interiora vergat, quod non potest non grauissima symptomata excitare: quo facto, interne diaphoreticis et externe immissione extermorum in aquam calidam, frictionibus, fomentis materia peccans ad articulos est reuocanda. Hoc nisi cito fiat, opinione citius funestus euentus saepissime sequetur.

## §. XXVI.

*De catarrbo suffocatio et colica.* Experientia teste, nihil facilius est, quam ut nocua ista materia ad pectus metastasi periculosa delabatur; vnde catarrhi suffocatiui minae sunt timendae. In hoc incipiti statu nihil magis se commendat, quam usus sulphuris antimonii aurati tertiae praeципitationis, quod cum Tartaro Vitriol. maritatum emesin producit et akuum mouet, sed cum antimonio diaph. vel aliis diaphoreticis combinatum, transpirationi admodum inferuit. Retrocedenti arthritidi non raro colica superuenit. In quo nocuio ac dolorifico affectu operae pretium faciunt clysteres paregorici, ex Veron. Chamom. Melilot. parati, infusa, hirudinum applicatio, Aqua Millefolii composita, Spiritus Nitri dulcis. conf. Cel. HOFFMANNI diff. de podagra in corpus retrocedente. Nec inunctiones oleorum carminatiuorum fructu suo destituuntur, materiam peccantem discutiendo, et transpirationem augendo.

## §. XXVII.

*De tumore redematofo.* Paroxysmo finito morboque soluto, saepiuscule pedum remanent tumores oedematosi, caute profecto tractandi, exhibendo in primis leniora laxantia, balsamica simul virtute praedita, ut sunt Rhabarbarum in sub-

Substantia, pilulae de Succino Cratonis, Beccherianae, Iunckerianae, Stahlianae, refracta quidem Dosi, sed creibria exhibitae: externe autem puluere ex farina fabarum, camphora et floribus Sambuci pedes conspergendo, et leniter fascia lata eosdem constringendo; cauendo tamen, ne fortior ligatura vberior seri affluxus et stagnatio fiat. Internis laxantibus resoluentia interponi possunt, e. g. Rec. Tinctur. Antim. acr. drach. ij. Tinct. Salis Tart. Eſſ. Ariſtol. rot. Pimp. alb. aa. drachm. jij. M. dosis gutt. XXXX-L.

## §. XXVIII.

Dissipata materia peccante subtiliori, crassior lo-*De topis.*  
co cedere tergiueratur: quoniam vero ex eiusmodi collectionibus tophaceis varia mala ortum sumere pos-  
sunt, quod supra exposuimus, etiam nostrarum partium est, vt rationem prodamus, qua nodi arthritici auferri queunt; nimirum tota res eo redit, vt resolu-  
uantur ac discutiantur. Optimum ac praefentissimum effectum praestat balsamus sulphuris antimonius, ex sale scoriarum reguli antimonii simplicis, adfuso oleo Terebinth et Iuniperi paratus; nec non olea empyreumatica, vt &c Tartari foetid. &c. &c. animale Dippelii. Nec spes frustratur emplastro sequenti:  
Rec. Empl. Sapon. Barbette vnc. fern. Camphor.  
drachm. j. quod per vices imponitur ac remouetur.

## §. XXIX.

Iam tractationis ordo requirit, vt etiam medica-*De medie.*  
mentorum externorum mentionem faciamus. In ge-*externis.*  
nere de iis monemus, non nisi admodum cautum il-  
lorum vſum licitum esse; quia facilime podagras re-

trocessionem inducunt, qua facta, aegrotum orci fastidibus eripere, quanti est laboris ad calculum disponunt, et partium contracturas relinquunt. Triplici autem ratione circa externa peccari potest, si vel nimis cito, vel larga manu, aut incongrua adhibentur. Quid iutat enim materiam de loco in locum, et quidem periculoso rem, pellere? Medicamentis nocivis externis annumerio sapientia, repellentia, oleosa, pinguis, quibus materia peccans non potest non intus detineri, ac partium tonus destructionem pati. Consultius ac securius est, partes dolentes culcitis leuioribus plumaceis inuolutas in quiete et aquabilis calore retinere, ut successiva humoris vitiis diffusio procuretur. Scopo leniendi antiquissimum cataplasma ex mica panis similaginei, lacte, vitello oui, croco et floribus sambuci paratum, nec non succus lumbricorum terrestrium et moderatus usus saponis chemici Dippelii admitti possunt: Rec. Sal. Tart. 15j. Antim. crud. 10j. Cupri vnc. iv. funde ad scorias, ne fiat regulus, quas calidas tunde et oleo iuniperi q. s. imbibe ad consisten- tiam pulmenti: tum affundatur VRSI, bis vel ter affusionem repetendo, et denique aliqua spiritus pars abstrahatur, ut mixtura concentrata superfit. Paroxysmis sublatis, ad roborandas partes spiritus acidus formicarum, vel balsamus vitae Hoffmanni cum aqua Reginae Hungariae dilutus moderate inungi possunt, quae insigne robur adferre solent.

Obs. Quantum periculi inunctiones pinguedinosae afferant, binis mihi innotuit exemplis, in priori anus, in posteriori chirurgus eiusmodi illinimen-  
tis

ris ex chiragra gangraenam spacelumque produ-  
xerunt.

**S. XXX.**

In malo ischiatrico temperantia et laxantia iuuant. *De malo ischiatrico*  
 Extra paroxysmos sanguinis ventilationes non negli-  
 gantur, et haemorrhagiae naturales in ordinem redi-  
 gantur. Diaeta ac regimen conueniens obseruentur,  
 et corpus motu moderato ac continuato exerceatur.  
 Externe Saponem Venetum Spiritu vini solutum, Em-  
 plastrum Saponatum Barbette camphoratum, nec non  
 sequens Emplastrum commandant: Rec. Pic. Bur-  
 gund. q. f. malaxetur cum f. q. feminis sinapi per ex-  
 pressionem. Valde autem dubito, quod in malo in-  
 veterato haec respondeant votis.

**S. XXXI.**

Quid inter externa vitandum sit, iam exposui, *Cautelae in practicæ*  
 ergo nihil restat, quam ut quae ex medicamentis in-  
 ternis fugienda sint, subiungam. Iure vero acida  
 damnantur; quia primarias indicationes impugnant.  
 Salia volatilia, intemperie exhibita, humores concit-  
 ant, et symptomata adaugent. Iuscula confortantia  
 nihil auxilii afferunt, sed humores augendo nocent;  
 corpus enim impurum, quo magis nutritur, eo ma-  
 gis, teste Hippocrate, laeditur. In colica arthritico-  
 rum a narcoticis est abstinendum; haec enim non  
 materiae peccanti, sed naturae viribus opponuntur,  
 et sine dubio grauia damna inducunt. Sufficiat, haec  
 pro scopo praesenti monuisse. Utinam homines na-  
 turæ

turae regulis ita actiones suas attemperarent, ut eiusmodi auxiliis supersedere possent. Ceteroquin Deo optimo maximo pro concessis viribus humillimas persoluimus grates, tibique, beneuele lector, quaevis fauista apprēcantes, nos et conamina nostra fauori tuo commendamus!

## FINIS.

NOBILISSIMO ATQUE DOCTISSIMO  
DOMINO CANDIDATO,  
IOANNI FRIDERICO ZIMMERMANNO,  
S. P. D.  
IOANNES GUILIELMVS BAUMER,  
Med. et Philos. Doctor,

**S**uae aliorumque saluti prospicere, fundamentalis illa iuris naturae lex est, qua omnes mortalium actiones compesci deberent. Sed si verum fatendum, nonnisi optimus quisque hac regula ducitur, et permulti facta sua non huc obligationi attemperant, sed fas as nefas exiguo fine libidinum discernunt. Tanto magis autem virorum cordatorum est, omni contentione in eo allaborare, ut utilissimo illi praecepto fiat sat. Rerum suarum hic vero nemo satagerre potest, nisi industies maiora perfectionum augmenta capere, onus ac lapidem mouet; etenim nonnisi perfectas actiones gloria sequitur et salus. Haec mihi in mentem veniunt, dum vitam tuam, inter nos hos nonnullos menses actam, considero. Nam praeceptor excitatam ad studia indolem, cui ad matra accessio semper datur, indefessum in principiis anatomitis et scientia physiologico-pathologica, quantum tempus tulerit, te praecepisti. Quacumsta sint, his et reliqua tua cognitione instructus, non poteris non acrostibus salutis et auxilio esse. Ceteroquin in votis habeo, ut Numen maximum, a quo omnis denique salus proficitur, conamina Tua nullo non tempore secundet!



0046282



Ratio ✓





B.I.G.

Black

8	
7	
6	
5	
4	
3	
2	
1	
1	Centimetres
2	
3	
4	
5	
6	
7	
8	
9	
10	
11	
12	
13	
14	
15	
16	
17	
18	
19	
20	

Farbkarte #13

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA

DE  
ARTHRITIDE,  
TAM QVAM INFLAMMATIONIS  
SPECIE, AGENS,

QVAM  
SVB AVSPICIIIS DEI O. M.  
ET CONSENSV

GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAЕ  
IN ALMA ET PERANTIQA HIERANA,  
PRAESIDE

DN. D. HIERONYMO LVDOLF,

CHTMIAE ET MATHES. PROF. PVBL. FACVLT. MED. ET PHIL. ASSESS. ORD.  
CIVITAT. ERFORD. PHTS. ET FACVLT. MED. H. T. DECANO,

PRO LICENTIA

SVMMOS IN ARTE MEDICA HONORES ET PRI-  
VILEGIA DOCTORALIA

LEGITIME CONSEQUENDI,  
PVBLICAЕ ERVDITORVM DISQUISITIONI SVBMITTIT

AVCTOR

JOANNES FRIDER. ZIMMERMANN,

HETTSTADIO MANNSFELDENSIS.

IN AVDITORIO MAJORI COLLEGII MAJORIS  
HOR. CONSVET.

DIE XXVIII. AVGUSTI, MDCCLII.

ERFORDIAE,

Typis JOH. CHRISTOPH. HERINGII, Acad. Typogr.

